

CURRENDA XII.

EX ANNO 1862.

Venerabili Clero Diocesano, Salutem in Domino!

Nr. 67. Literis Nostris circularibus ddo 24. Julii a. c. Nr. 52/præs. Vobiscum, Venerabiles praes. Fratres! Allocutionem SSmi Domini Nostri Pii PP. IX. in Consistorio die 9. Junii a. c. ad orbis Catholici Antistites occasione sollemnis plurium Sanctorum canonizationis Romæ congregatos habitam communicavimus, Simulque dolorem Nostrum Vestrumque testabamur, quod Diocesis nostra suo orbata pastore, in illo amplissimo sacrorum Antistitum cœtu per Suum Episcopum non potuerit repræsentari.

Sed et reliqui hujus Regni Reverendissimi Antistites variis minus favorabilibus circumstantiis dolentes impediuntur, quo minus illo tempore Romæ præsentes adessent.

Verum absentes corpore, spiritu tamen huic Episcoporum orbis Catholici cœtui conjugebantur, omnia et singula, quæ illic sacri Antistites in sua sollemni protestatione die 8. Junii a. c. SSmo Domino Nostro oblata piissime professi sunt, intimo animi sensu probantes, summeque ad dictam protestationem assensum et accessum litteris ad Suam Sanctitatem datis exprimendum persequerunt, id quod declaratione sua die 22. Augusti a. c. Romam expedita devotissime persecerunt.

Hanc declarationem SSmus Dominus Noster benignissime excepit, atque datis sub 29. Septembris a. c. gratiosissimis Litteris cunctis istius provinciæ Clericis ac Laicis fidelibus Apostolicam benedictionem peramanter impertiri dignatus est.

Quemadmodum autem suo tempore memoratam Suae Sanctitatis Allocutionem ad notitiam Nostram deducendam esse censuimus, ita modo declarationem Episcopatus rit. lat. Galiceni sub 22. Augusti a. c. ad pedes Suae Sanctitatis devolutam, æque ac gratiosissimum Suae Sanctitatis Rescriptum ddo 29. Septembris a. c. una cum benedictione Apostolica Vobiscum, Venerabiles Fratres! communicare properamus, nulli dubitantes, quin ob dictam benedictionem Apostolicam lætitia perfusi, una cum populo fidei, de hac gratia Apostolica edocendo, eo fervidiores preces pro Beatissimi Papæ et s. Ecclesiæ pace ac incolumitate indesinenter ad Deum fundere pergatis.

1. Declaratio (Adres) Episcopatus:

„Beatissime Pater! Cum quam plurimi ex universo orbe catholico Antistites pro Sacratissimo Festo Pentecostes proxime elapso ad vocem Sanctitatis Vestrae Romam properarent, ut sollemni sanctorum Martyrum Japonensium canonizationi interessent, ac limina sanctorum Apostolorum Petri et Pauli visitarent, nos quoque perreverenter subsignati Epipi Provinciæ Leopoliensis lat. rit. in Galicia Austriaca summo cordis ardore desideravimus, sancto illorum cœtui adjungi, ut Sanctitati Vestrae filialem nostram obedientiam, venerationem ac pietatem commonstrarem. Jam animoolvebamus, incomparabilem illam lætitiã, qua cor catholici pastoris perfunditur, cui datur supremi Christi Domini Vicarii pedes amplecti, vultum cernere, vocem audire, quo et amplexu Ejus benedicatur, et intuitu ad Deum trahatur, et sermone erudiatur atque roboretur! Sed quominus tam ardens desiderium explere, tantæque lætitiæ participes fieri liceret, Diocesum nostrarum indigentia, temporum calamitas aliæque minus favorabiles circumstantiæ nos impederunt.

Ast corpore Roma absentes, spiritu aderamus, atque venerando illi cœtui orbis cath. Epporum fide & charitate, oratione et votis conjungebamur, et coadunabamur. Quidquid illi sacri Antistites in sua protestatione de die 8. Junii a. c. sapientissime ac piissime professi sunt, declararunt, doluerunt, reprobarunt: nos pariter profitemur, declaramus, dilemus, reprobamus et condemnamus, solemniter huic sanctæ protestationi eorum, in omnibus et singulis capitibus, accedentes.

In specie vero una cum illis credimus et confitemur: Te Beatissime Pater! esse nobis sanæ doctrinæ magistrum, unitatis centrum, populis lumen indeficiens a divina Sapientia præparatum, Petram et ipsius Ecclesiæ fundamentum, contra quod inferorum portae nunquam prævalent. Te loquente, Petrum audimus: Te decernente Christo obtemperamus: Te miramur inter tantas molestias totque procellas fronte serena et imperturbato animo sacri muneris partibus fungentem, invictum et erectum.

Porro cum illis Venerab. Patribus vehementer dolemus, Sanctitatem Vestram iis provinciis, quarum ope et dignitati Sanctæ Sedis et totius Ecclæ administrationi æquissime providebatur, nefario usurpatorum hominum scelere, qui non habent nisi velamen malitiæ libertatem, spoliatum esse. Civilem enim Sanctæ Sedis principatum ceu quiddam necessarium, ac providente Deo manifeste institutum una cum illis agnoscimus, nec declarare dubitamus, in præsentī rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclæ animarumve regimine omnino requiri.

Scelestos quoque homines et honorum ecclesiasticorum directores, justo Sanctitatis Vestrae judicio damnatos esse, nos quoque una cum sacris illis Antistitibus profitemur & una cum illis reverenter excipimus, plenumque assensum renovamus ad omnia, quæ Sanctitas Vestra contra sacrilegos illos principatus ecclesiastici invasores jure ac merito decernenda esse putarit.

Denique una cum prælaudatis Eppis errores a Sanctitate Vestra damnatos, damnamus: doctrinas novas et peregrinas, quæ in damnum Ecclesiæ Jesu Christi passim propalantur, detestamur et rejicimus: sacrilegia, rapinas, immunitatis ecclesiasticæ violationes, aliaque nefanda in Ecclæ Petricæ Sedem commissa, reprobamus et condemnamus.

Accipe Beatissime Pater! hanc submissam filiorum Tuorum declarationem, qua protestationi! universi Episcopatus catholici accedentes, devota nostra sensa erga Sanctitatem Vestram et Sanctam Sedem Apostolicam aperire volumus. Ut vero omnibus pateat nosquamquam propter locorum et temporum circumstantias domi remanere coacti fuimus, eadem tamen fide ac principiis imbutos, eadem veneratione & charitate erga Sanctitatem Vestram & Sanctam Sedem Apostolicam animatos esse, quarum congregati Romæ Eppi luculenta dedere documenta: humillime rogamus, ut præsens declaratio nostra publici juris fiat.

Hæc eadem charitas urget nos, ut cum Clero et populo nobis concredito nunquam cessemus Dom. Nostr. J. C. totis præcordiis exorare, quatenus Sanctitatem Vestram multos adhuc in annos Ecclæ suæ sanctæ sospitem, incolumemque custodiat ut eam pabulo cœlesti reficias, Tuo robore teuaris, Tua prudentia dirigas, Tuis exornes virtutibus: ut errantes in viam veritatis et virtutis reducat, vulpes et lupos a vinea sua arceat, tempus probationis abbreviet, Sanctitati quæ Vestre concedat, spe sua potiri, et non solum ereptum S. Petri patrimonium gloriose recuperare, sed recuperatum cum majori splendore ad postereros transmittere.

Qua certa spe et fiducia repleti et refoti, in genua provolvimur et sacratis Sanctitatis Vestrae pedibus oscula figimus, apostolicam benedictionem pro nobis ipsis, et pro Clericis ac Laicis currae nostræ commissis in omni humilitate expetentes.

Sanctitatis Vestrae obedientissimi filii... Fr. X. Wierchlejski Archieppus. Josephus Alojsius Eppus Tarnov. Jos. Hoppe Vic. Capit. Diœc. Premislens. "

II. Honorandissima Epistola Papalis:

„Venerabilibus Fratribus! Francisco Xaverio Archiepiscopo Leopoliensi, Josepho Alojsio Episcopo Tarnoviensi latini ritus, ac Dilecto Filio Josepho Hoppe Præposito Cathedralis Templi Premisliensis Vicario Capitulari Premisliensis Diœcesis illius Episcopalis Ecclesiæ ritus item latini Sede vacante legitime deputato Leopolim.

Pius PP. IX.

Venerabiles Fratres ac Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem. Maxime quidem lætitiæ Nobis fuerunt vestrae Litteræ pie 22 proximi mensis Augusti datæ, in quibus undiquæ mirifice elucet summa vestra erga Nos, et hanc Petri Cathedram omnium Ecclesiarum matrem et magistram fides, amor et observantia. Namque eisdem Litteris significatis, Venerabiles Fratres, ac Dilecte Fili, non levi Vos affectos fuisse dolore propterea, quod ob peculiare istarum Diœcesium rationes, ac tristes rerum temporumque vices minime potuistis, veluti summo-

pore optabatis, ad nos venire, ut praesentes essetis sollemni plurium Sanctorum Canonizationi, quam faustissimo Pentecostes die hujus anni cum maxima catholici orbis Sacrorum Antistitum frequentia, ac singulari animi nostri consolatione, Deo auxiliante celebravimus. Hinc dissertissimis verbis profitemini, Vos rejicere ac damnare omnes praesertim errores a nobis in Consistoriali Allocutione die 9 proximi mensis Junii habita proscriptos ac damnatos, ac simul luculenter confirmatis, nihil Vobis gratius esse posse, quam iis omnibus ex animo adhaerescere, quae Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites Romae commorantes eodem Pentecostes die in praeclaris suis Litteris ad Nos datis mira sane consensione palam publiceque declarare vel maxime gloriati sunt. Non potuimus non vehementer dilectari hisce egregiis vestris sensibus, qui omni certe laude dignissimi maximam Nobis afferunt consolationem inter gravissimas, quibus preminur, acerbitates. Siquidem hujusmodi vestri sensu clare aperteque ostendunt, quantopere Vobis cordi sit catholicae Ecclesiae, hujus Apostolicae Sedis, ac veritatis, justitiaeque causa. Quo circa certi sumus, Vos in hac tanta temporum iniquitate tantaque impiorum hominum contra sanctissimam nostram religionem conspiratione, nihil unquam intentatum esse relicturos, ut ejusdem religionis causam, jura, doctrinam impavide defendere, istorum fidelium saluti studiosissime consulere, ac nefarias multiplicesque inimicorum hominum insidias detegere, errores refellere, pravisque illorum consiliis, conatibusque strenue obsistere possitis. Pergite vero ardentiori usque studio una cum vestro Clero, Populoque fideli divitem in misericordia Deum indesinenter orare et obsecrare, ut exurgat, et judicet causam suam ac praesentissimo suo auxilio adsit Nobis, adsit Ecclesiae suae, et omnipotenti sua virtute omnes Ecclesiae, et hujus Apostolicae Sedis hostes humiliet, illosque de impietatis via ad justitiae salutisque tramitem reducat. Denique pro certo habeatis velimus, praecipuam esse, qua Vos prosequimur, benevolentiam. Cujus quoque certissimum pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, ac Dilecte Fili! cunctisque Clericis Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum die 29. Septembris Anno 1862. Pontificatus Nostri Anno Decimo septimo. Pius PP. IX.

Ab Ordinariatu rit. lat.

Praemissæ die 24. Decembris 1862.

J. Hoppe,
Vicarius Capitularis.

Adalb. Harmata,
Cancellarius.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT
UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY DEPARTMENT
UNIVERSITY OF CHICAGO